

Legatio à Sigismundo primo re:  
ge Polonia ad conventum Prussiae  
Torunij actum. 1526.

116

Imprimis nuntius regius in conventu To:  
runensi haec aget: dicit gratiam maiesta:  
tis suae universis ordinibus, deinde post  
oblatas literas referet:

Non est incognitum dominationibus  
vestris, quomodo sub id tempus quo regi:  
a maiestas ordinandis et componendis ter:  
re huius Prussiae rebus intendebat, Tar:  
tari perpetui maiestatis suae hostes, cum  
numerosissimo exercitu inuersione facta, ter:  
ras Russiae suae maiestati subiectas longè  
lateque depopulati sint, praedamque ingen:  
tem abduxerunt. Quomodo etiam uno eodem:  
que tempore Turcorum imperator cum va:  
lidissimis copiis maximoque belli apparatu  
regnum Hungariae potentissimum et ditissi:  
mum ingressus, arcibus nobilissimis firmis:  
simisque atque oportunis vi potitus, tan:  
dem collatis signis serenissimum dominum  
Ludovicum Hungariae et Bohemiae regem,  
exercitumque eius fuderit, prostravit et dele:  
vit, quo in bello idem serenissimus rex  
Ludovicus nepos suae maiestatis desideratis:  
simus, cum maxima parte procerum et  
optimatum regni sui Hungariae status utriusq;  
cecidit

cecidit et interit.

Quibus rebus effectum est, ut Tartari ipsi et modo, nihil aliud agant molianturque, quam ut terras et dominia sue maiestatis in perpetuam vastitatem solitudinemque redigant, et Turcus ipse tot successibus et victoriis elatus, orbem terrarum sibi subigendum destinavit, neque regno Hungarie contentus, etiam finitimis gentibus, atque ita et dominus sue maiestatis perniciem intentumque; quod omen Deus avertat; minatur.

His et similibus causis regia maiestas permota, tanquam optimus et providentissimus princeps, conventum generalem totius regni sui ad festum Epiphaniae domini proximum Cracoviae habendum indicit.

Sed quo dominationes vestre parationes instructioresque ad eundem conventum venirent, et salubriora consilia de totius rei christiane et omnium terrarum sue maiestatis, tum praecipue istarum terrarum Borussiae dare possent, sua maiestas etiam hic Torunij conventum a vestris dominationibus haberi voluit, in quo mutua et concordia deliberatione inter se habita, totque urgentibus rebus perpensis, quid potissimum agendum sit, et quibusnam remediis utendum, in commune consulere possint.

Memis

Meminit preterea sua maiestas dum proxime hic agebat, quomodo universa nobilitas à sua maiestate magnis precibus optabat, ut ius Culmense, quo terræ istæ Prussicæ utuntur et diriguntur, conscriberetur, in eamque formam redigeretur, quo universi earundem terrarum incolæ, notitiam illius habere possent. Itaque sua maiestas vult, ut dominationes vestre iam modo committere velint auctoritate maiestatis sue doctoribus iurium, quibus hæc provincia demandata est, ut tandem veni eiusdem iuris Culmensis conscribendi, aggredierentur, et de provisione, unde et de quibus pecuniis eis dari debeat, deliberent et constituent, et ad suam maiestatem referant, quæ dignabitur curæ et laboris eorundem doctorum et iurisperitorum benignam habere rationem.

Monetam audere hic in Prussia, etiam maiestas sua de consilio vestrarum dominationum constituit talem, qualis monetæ Polonicæ in valore responderet. Sed quia illustrissimus dominus dux Prussicæ, dum cum eo de ratione monetæ audendæ ageretur, cupivit sibi concedi dilationem ad festum sancti Martini, quo super ea re cum suis subditis conferret, nec tamen hactenus quidquam de ea re significavit, sua maiestas regia etiam vult in eodem monetario negotio

negotio à vestris dominationibus interim  
consuli et deliberari quid sit faciendum,  
et si ulterius deliberatio domini ducis in  
Brussia expectanda.

Præterea pervenit ad notitiam sua mai-  
estatis, civitatem istam Torunensem in ma-  
gna sui parte Lutherana heresi infectam  
esse, ideo mandat vestris dominationibus  
maiestas sua, ut secundum quod et Gda-  
ni et Elbingi in causa religionis constitu-  
tum est, id etiam Torunij perficiant et ob-  
firment, ne civitas ipsa novis doctrinis et  
ritibus se accommodet, quin vetustum ritum  
ecclesiasticum à sanctis patribus iam olim  
institutum, et per tot secula à maioribus  
eorum religiosissime observatum, servent  
et inviolabiliter retineant.

Magistratum præterea civitatis Torunen-  
sis, qui propter tumultuantem plebem fere  
exauctoratus est, vult et iubet maiestas  
sua, ut primo splendori et authoritati ve-  
stre dominationes restituant, et plebi con-  
ventualis: qua ipsi per se agitandi occasionem  
in sagittario hortu habere solent: ne habere  
liceat, semel duntaxat in anno, hoc est ad  
festum Pentheostes, dum avis balistis peti-  
tur, strictissime et severissime prohibeant, alia:  
que omnia ordinent et constituent vestre do-  
minationes, que ad dignitatem maiestatis sue,  
simul et ad bonum tranquillumque statum

eiusdem

eiusdem civitatis, et civium unionem et concordiam pertinere putabunt.

Franciscus Lotche civis Torunensis propter famam virtutis et probitatis regie maiestati non vulgariter est commendatus, iubet igitur sua maiestas, ut eum vestre dominationes in pristinum statum suum, hoc est ad sedem et locum proconsularium et ordinem senatorium auctoritate sue maiestatis reponant et restituant.

Ceterum si Galzewski nondum satisfecit sorori famati Conradi Hithfelth proconsulis Torunensis pro iniuria, quam in eius domo propria intulit, vult maiestas sua ut illum cogant vestre dominationes, quo illi satisfaiat, eamque saltem precibus sibi reconciliet.

Idem Galzewski quia se temere ingemit in bona puerorum bone memorie Joannis de Ponte, committit maiestas sua vestris dominationibus, ut illum, et similiter nobilem Wolski prohibeant nomine et auctoritate maiestatis sue, ne ad eadem bona gubernanda se quoquomodo intromittere audeant, sub gravi indignatione maiestatis sue

Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines.